

AUSONE

GRIPHUS TERNARII NUMERI (90 vers)

AVSONIVS SYMMACHO

GR_1

[Oratio soluta]

GRIPHVS TERNARII NVMERI

GR_2

v.1 Ter bibe vel totiens ternos : sic mystica lex est,
 2 vel tria potanti vel ter tria multiplicanti,
 3 imparibus novies ternis contexere coebum.
 4 Juris idem tribus est, quod ter tribus, omnia in istis :
 5 forma hominis coepti plenique exactio partus
 6 quique novem novies fati tenet ultima finis.
 7 Tris Ope progeniti fratres, tris ordine partae,
 8 Vesta, Ceres et Juno, secus muliebre, sorores.
 9 Inde trisulca Jovis sunt fulmina, Cerberus inde,
 10 inde tridens triplexque Helenae cum fratribus ovum.
 11 Ter nova Nestoreos implevit purpura fusos
 12 et totiens trino cornix vivacior aevo.
 13 Quam novies terni glomerantem saecula tractus
 14 vincunt aeripedes ter terno Nestore cervi,
 15 tris quorum aetates superat Phoebius oscen,
 16 quem novies senior Gangeticus anteit ales,
 17 ales cinnameo radiatus tempora nido.
 18 Tergemina est Hecate, tria virginis ora Dianae ;
 19 tris Charites, tria Fata, triplex vox, trina elementa.
 20 Tris in Trinacria Sirenes, et omnia terna,
 21 tris volucres, tris semideae, tris semipuellae,
 22 ter tribus ad palmam jussae certare Camenis,
 23 ore, manu, flatu, buxo, fide, voce canentes.
 24 Tris sophiae partes, tria Punica bella, trimenstres
 25 annorum caelique vices noctisque per umbram
 26 tergemini vigiles. Ter clara instantis Eoi
 27 signa canit serus deprenso Marte satelles.
 28 Et qui conceptus triplicatae vespere noctis
 29 jussa quater ternis adfixit opima tropaeis.
 30 Et lyrici vates numero sunt Mnemosynarum,
 31 tris solas quondam tenuit quas dextera Phoebi :
 32 set Citheron totiens ternas ex aere sacravit
 33 relligione patrum, qui sex sprevisse timebant.
 34 Trina Tarentino celebrata trinocia ludo,
 35 qualia bis genito Thebis trieterica Baccho.
 36 Tris primas Thraecum pugnas tribus ordine bellis
 37 Juniadae patrio inferias misere sepulcro.
 38 Illa etiam thalamos per trina aenigmata quaerens,
 39 qui bipes et quadrupes foret et tripes, omnia solus,
 40 terruit Aoniam, volucris, leo, virgo, triformis
 41 Sphinx, volucris pinnis, pedibus fera, fronte puella.

42 Trina in Tarpeio fulgent consortia templo.
 43 Humana efficiunt habitacula tergenus artes :
 44 parietibus qui saxa locat, qui culmine tigna,
 45 et qui supremo comit tectoria cultu.
 46 Hinc Bromii quadrantal et hinc Sicana medimna :
 47 hoc tribus, haec geminis tribus explicat usus agendi.
 48 In physicis tria prima, deus, mundus, data forma.
 49 Tergenus omnigenum, genitor, genetrix, generatum.
 50 Per trinas species trigonorum regula currit,
 51 aequilatus vel crure pari vel in omnibus impar.
 52 Tris coit in partes numerus perfectus, ut idem
 53 congrege ter terno per ter tria dissolvatur.
 54 Tris primus par, impar habet mediumque : sed ipse
 55 ut tris, sic quinque et septem quoque, dividit unus ;
 56 et numero in toto positus sub acumine centri
 57 distinguit solidos coebo pergente trientes,
 58 aequipares dirimens partes ex inpare terno.
 59 Et paribus triplex medium, cum quattuor et sex
 60 bisque quaternorum secernitur omphalos idem.
 61 Jus triplex, tabulae quod ter sanxere quaternae :
 62 sacrum, privatum et populi commune quod usquam est.
 63 Interdictorum trinum genus : unde repulsus
 64 vi fuero aut utrubi fuerit quorumve bonorum.
 65 Triplex libertas capitisque minutio triplex.
 66 Trinum dicendi genus est : sublime, modestum,
 67 et tenui filo. Triplex quoque forma medendi,
 68 cui logos aut methodos cuique experientia nomen.
 69 Et medicina triplex : servare, cavere, mederi.
 70 Tris oratorum cultus : regnata Colosso
 71 quem Rhodos, Actaeae quem dilexistis Athenae
 72 et quem de scaenis tetrica ad subsellia traxit
 73 prosa Asiae, in causis numeros imitata chororum.
 74 Orpheos hinc tripodes, quia sunt tria : terra, aqua, flamma,
 75 Triplex sideribus positus, distantia, forma.
 76 Et modus et genetrix modulorum musica triplex :
 77 mixta libris, secreta astris, vulgata theatris.
 78 Martia Roma triplex : equitatu, plebe, senatu.
 79 Hoc numero tribus et sacro de monte tribuni.
 80 Tris equitum turmae, tria nomina nobiliorum.
 81 Nomina sunt chordis tria, sunt tria nomina mensi.
 82 Geryones triplices, triplex conpago Chimaerae,
 83 Scylla triplex, comissa tribus : cane, virgine, pisce.
 84 Gorgones Harpyiaequae et Erinyes agmine terno
 85 et tris fatidicae, nomen commune, Sibyllae,
 86 quarum tergemini, fatalia carmina, libri,
 87 quos ter quinquorum servat cultura virorum.
 88 Ter bibe. Tris numerus super omnia, tris deus unus.
 89 Hic quoque ne ludus numero transcurrat inertis,
 90 ter decies ternos habeat deciesque novenos.